


Glauber, Johann Rudolph. *Johannis Rudolphi Glauberi Apologia contra mendaces Christophori Farnneri calumnias, ex germanico in latinum idioma trans-fusa.*

Amstelodami, 1655., 1655.

Cote : BIU Santé Pharmacie 11364(4)



(14)
IOHANNIS RUDOLPHI
GLAUBERI
APOLOGIA

Contra mendaces


CHRISTOPHORI FARNNERI
Calumnias,

*Ex Germanico in Latinum
Idioma trans-fusa.*



AMSTELODAMI,

1 6 5 5.





ANTIQUUM

EST

PROVERBIUM,

*Qui stercus contrectat, stercore polluitur,
Sive Vincat, sive perdat, oletum re-
dolet.*



Atisque ipsa experiētiā com-
probatum. Rixarum, mulie-
bri levitati, quam homini Chri-
stiano magis convenientium,
maximus semper osor exstici,
quas quantum licuit, nunquam non de-
clinavi, injurias ferre præ-optans, damna
ferens, tacens, cedens quæ mihi jure ven-
dicare debebam, dummodo pace fruerer,
quam D E U S hætenus Satis benigne con-
cessit, neque mihi ætate provecto, cum me
mundo maximè abdico, à versutis homini-
bus molestias creatum iri, unquam suspi-
catus fui; sed perfidus Farnnerus non laceffi-
tus,

tus, lites mihi movet, dum non meam modò personam, sed etiam omnia mea scripta superbâ invidiâ obtreâtare, contemnere, explodere satagit, & famosas literas quibus me bonis exosum redderet, passim spargit; quod indignum facinus, licet ex multis cognoscerem, credere non sum ausus, donec ipsius manu exarata epistola ad meas manus perveniret, qua perlectâ, detestandam hominis multis nominibus mihi obstricti impietatem satis mirari non potui.

Ecquid pudet te, Farnnere, omnia mea scripta aliorum contemptui exponere, quæ neque intelligis nec unquam intelliges & ante hac laudibus extulisti, prout testimonio autographi tui comprobari potest? Non equidem de te meritis sum, ut me apud omnes cavillari meaue scripta ceu inutilia proclamare non verearis. Decuisset te potius ut pro multivariis à me tibi præstitis beneficiis, tota vita tua & humanum & gratum te mihi exhiberes, quippe cum sanctissimè id tua spondeat obligatio, qua spreta omnia mea beneficia detestabili ingratitudine compensas, quod quidem obligationi tuæ è diametro contrariatur. Quorsum infitiaris, te præcipuas tuas scientias à me habere, quas tamen unicuique ceu
tuas

tuas venales exponis , meque insuper contemnis ?

Nunquam sane adeò infidum te credidissem , quin candidum te hominem esse existimavi , quippè cui aliàs tanta non communicassem.

Non infitiaberis credo , te ex pago Lochoviensi bis ad me Kitzingam venisse , meque orasse , ut uno atque altero secreto tibi subvenire dignarer , quò victum tuum haberes.

Nonne bis repulsam passus vacuusque domum redire coactus es , hoc prætextu , quasi tempore te informandi destituerer ? Cumque tertia vice redires , persuaderi mihi passus sum , ut tibi nonnulla secreta pro vili remuneratione communicarem , hac conditione , ut illa tibi secretò credita neminem me inscio doceres , in cujus rei fidem me data obligatione asscurasti , te omnia secretissimè custoditurum , sub pœna infamiæ omniumque bonorum amissione. Cur datam fidem illam fefellisti ? fractisque promissis , memet ipsum apud omnes nefariè calumniaris , cum tamen cum tota familia tua mihi fidelem te promiseris ? testibus non solum tuis obligationibus sed & tuis ad me datis literis : nec dubito , quod si illas perdidisti

didissem, aut illis ad convincendum te destituerer, quin omnia negare imò juramento te obstringere auderes, te planè nihil boni ex me habere, quemadmodum jam jam cæpisti, inque calumnioso tuo scripto omnia mea secreta contemnis, tuaque (pro-ut putas, quæ tamen mea sunt) laudas & prædicas. Ecquid dubitas lecto hoc me pœnituisse, quod tanta tibi concrediderim, quod quidem nunquam factum esset, nisi adeo te mihi obligasses, te illa in mei & tui emolumentum apud me in meo Laboratorio elaboratum. Quid verò illis faciam? perierunt, deperdita sunt, quæ tamen & mihi & tibi sufficientissimè victum subministrare potuissent, nisi à te publicata forent.

Quid quæso jam exindè ad te lucri redibit, cum ea ubique vulgata fuerint? Quocirca cum videam, dolosè ea mihi abalienata esse, teque illa apud quosvis, me contempto, in tui incrementum jactare, utilissimum esse duco, omnia ista secreta (quippe quorum fructu mihi amplius frui non licet) toti orbi nota facere: Ego etiam sine illis Dei gratia vivere possem: Quod si verò merces tuas, quas iniquè possides & unicuique venales exponis, simul omnes à te emam, totique orbi largiar, qua ratione tam

tam repentè alias recuperare velis , tu videris. Ego sane nihil amplius tibi conferam, nec infidus quondam meus famulus , quem ad te pellexisti , quicquam tibi dare poterit , quicquid enim intra biennium ex me videre ei licuit , id omne jam tibi dedit , quod etiam inter merces tuas jam reposuisti venumque exposuisti. Quis fidem tibi habebit , cum me adeò enormiter fefelleris ? Unusquisque te abominabitur , tuumque fugiet consortium , nec immeritò , siquidem hanc legem tuamet tibi dixit obligatio : Atque ita delictum in authorem recidet , certoque divina subsequetur pœna , qua tibi nihil erit certius. Fateor quidem nonnullos quoque alios iniquè ; me læsisse , nemo tamen adeò nefariè actu ; quos tamen altissimum Numen (cui vindictam commiseram) ita punivit , ut unus hac alter alia ratione condignam facto suo mercedem retulerit. Quin tollerasset adhuc mercimonium tuum pro lubitu tuo te exercere , nec te Lochgoviam usque insecutus fuisset , quò obligationem tuam tibi ob oculos ponerem , sed Deo vindictam commisisset : Quia verò non contentus es , quod ea , quæ à me habes quæque secretò te custoditurum temet obligasti , quibusvis hominibus ob vile lucrum venalia

offeras, & commodum, quod mihi debebatur, ad te trahas, sed præterea me & quicquid ex me habes, contemnis, quod in summum meum detrimentum vergit, ampliusque tolerari nequit, ideoque calumniis atque obrectationibus refertas tuas literas, quas per omnes regiones divulgasti, punctuatim refutare, meque & res meas, in quas iniquissimè & nefariè inveheris, contra eas defendere constitui, ut toti mundo pateat, quanta tua erga me fuerit perfidia, quodque infernalibus actum stimulis cor tuum, contra omnem æquitatem horrendis mendaciis, convitiis atque calumniis, in me sæviat: Scias equidem nihil mihi molestius accidere, quam quod cogar mendacissimis tuis nugis tempus perdere, quod longè utilius impendere possem; quare quantò brevissimè licebit ad nugacissimas tuas literas respondere decrevi:

Quilibet sapiens facilè videbit, quam frivola tua sit excusatio. Ecquid putas sanæ mentis hominem tibi crediturum, si dixeris, te scientiarum tuarum fundamenta non mihi debere? minimè, nemo enim non scit, te ante biennium ne crucibulum quidem igni admoveere scivisse, multò minus vel minimum æris examen instituire potuisse:

Quod

Quod à me non didicisti, id te infidus meus famulus docuit, quem adeò magni facis, cum tamen satis superque scias, quantoperè de eo conquestus sim, quanta perfidia erga me usus sit, quemque eam solum ob causam, ad te recepisti; ut ab eo omne id, quod duorum annorum spatium, quibus apud me vixit, vidisset, expiscari posses, licet te non fugeret, quod nihil horum, quæ à me viderat & didicerat, ulli hominum communicare ei integrum esset.

Atque ita ejus secreta, quæ à me viderat, in te transfers, pactaque cum eo in meam & meorum perniciem sancis: Hoccine est boni viri? Non solum ea, quæ à me habes sed & ea, quæ perfidus meus famulus tibi contulit, certo pretio venum prostituas, cum tamen concessum tibi non sit, ut alterius res, in quas nihil juris habes, venales exhibeas. Quid multis, rem ipsam aggrediemur, obrectatoriasque tuas literas inspiciemus, quamque horrendis mendaciis & calumniis ex refertæ, sint lustrabimus:

Sed priusquam illud aggredior, obligationes tuas in certissimum fidei tuæ pignus mihi relictas tibi ob oculos ponam, ut ejus intuitu ceu ex speculi reflexu quam candidus sis, penitus cognoscere possis, & quam fide-

liter pollicita tua servaveris , & unusquisque exindè videat , præsertim verò illi apud quos calumniis tuis denigrare me voluisti , quàm perfidè multivaria mea tibi præstita beneficia ingratitudine compenses.

O B L I G A T I O P R I M A ,

Quam FARNNERUS loco Juramenti mihi dedit , ita habet :

QUANDOQUIDEM , Nobilissimus , Spectatissimus , Doctissimusque Dominus Ioannes Rudolphus Glauberus , infra dicto mihi nonnullas ex ipsius scientiis & secretis singulari quodam erga me motus affectu , communicavit , ostendit atque demonstravit , simul tamen silentii legem mihi injunxit , idcirco promitto atque polliceor sub fide famæ atque Existimationis meæ , Deumque ejus non minus quàm Christianissimi mei testem facio , quod inscio illo nemini mortalium , quisquis etiam ille fuerit , harum rerum nec verbum nec factum manifestare velim : posito verò (quod Deus avertat) me cuiquam harum rerum quicquam communicasse , tunc lubens , volensque omni jure renuncio , absolutamque ei potestatem concedo , omnes meas res , opes atque bona , sive mobilia sive immobilia sint , ad se tanquam caduca transferendi.

ferendi, deque illis pro lubitu suo constituendi: Nec id solum, quin potestatem ei concedo, me apud quosvis ceu perfidum & scelestum proclamandi & diffamandi ut omnium hominum sim abominatio, qua de causa silentii leges mihi quam strictissime servandæ erunt. E contra ob collata mihi hæc beneficia me totum quasi ei dedo unà cum dilecta conjuge & liberis meis in omnibus licitis & honestis ad obsequendum ei, unà ire quocunque tendat, labores ejus sublevare & (quod DEVS prohibeat) si prior moriatur, totius ejus familie curam suscipere paratissimus, quam curam vicissim ille meis quoque promisit: Confido igitur (si fata mihi vitam concesserint) me usque ad extremam ejus senectutem ei subsidium & fulcrum futurum. In cujus rei fidem his sigillum meum consuetum præfigere & manu mea subscribere volui. Actum Kitzinga die 15. Jun. 1652.

Testis

Spirensis Canonatus Quæstor
Lochgovie & Horrhem

Christophorus Farnnerus.

SECUN-

SECUNDA OBLI-
GATIO.

EGO Christophorus Farnnerus pro tempore
 Spirensis Canonatus Quæstor Lochgovia &
 Horrhem in Ducatu VVurtembergensi, omnibus
 & singulis, quibus hæc fortè legenda exhibebuntur
 notum facio, quod Nobilissimus Dominus Iohannes
 Rudolphus Glauberus pro exili redhostimento non-
 nulla secretorum suorum mihi communicarit, tan-
 demque firmum fœdus mecum inierit, ad hunc
 nempe modum, ut spondere coactus sim, me propter
 omne id, quodcunque mihi vel contulerit vel in
 posterum collaturus sit, non solum ipsi, sed & libe-
 ris ejus tota vita mea debitam gratiam relaturum.
 Quandoquidem verò vitæ nostræ terminus a quæ ac
 mortis horis incertus est, primaque obligatio non
 satis luculenta atque clara est, ea de causa ad me-
 liorem explicationem nempe promitto atque polli-
 ceor, ita me Deus amet, perque summam Numi-
 nis cœlestis promissionem & juramentum, quo un-
 quam veritati testimonium perhiberi solet, præ-
 terea sub fide famæ atque existimationis meæ, cujus
 intuitu ad servanda promissa ullus Christianus in-
 duci potest, nempe si (quod ut Deus clementissimè
 avertat quotidianis & ardentibus precibus expe-
 tere non intermittam) prædictus Dominus Glau-
 berus unà cum dilecta conjuge sua prematura mor-
 te

te decederet , liberis nondum in matrimonium collocatis , denuò promitto sub fide supremi istius juramenti me ea quæ sequuntur fideliter & ut Christianum decet servaturum : Nempe me ejus superstites liberos unâ cum meis liberis ad hereditatem vocaturum , eosque defuncti Parentis eorum secretis pro virili imbuturum , iisque de omnibus necessariis & requisitis æque ac liberis meis prospecturum , idque hunc ad modum , ut quodcunque ex hereditate defunctorum Parentum ad eos spectabit , id ad eos solos pertineat , suoque id jure poscere illis liceat , & si fortè quid ei decedat , ejus ego æstimationem solvere tenear , ita ut liberi mei nihil juris in illud sibi arrogare possint . E contra verò predicti Domini Glauberi liberos (ob communicata mihi secreta , quæ in posterum mihi victum meum suppeditabunt) unâ cum liberis meis heredes meos hisce instituo , ut æqualiter ad hereditatem meam admittantur & viventis mei beneficiis perfrui possint . Quod si vero ego Farnnerus præter spem , & quod abominor citius huic mundo quam Dominus Glauberus valedicerem , tenebitur Dominus Glauberus solummodo liberos meos , pro qualitate personarum , secretis suis ita imbuere , ut victum sibi exinde comparare possint : & ne fortè graves ei sint , pro lubitu suo eum , qui maxime idoneus videbitur , secreto quodam instruere poterit , quo ille postea fratres suos alimentum

tum sibi parare docebit. Quæ etiam de causa filio-
lum meum Alexandrum prædicto Domino Glau-
bero ejusque servitiis hisce dico atque mancipo, ita
quidem ut quamdiu ei libuerit, puerum illum se-
cum retinere possit, mihi vero eum repetere non
liceat, utpote utroque nostrum ei plane obligato :

Quæ tamen omnia ad istum casum utrinque
restringenda sunt, nempe si alterius partis Paren-
tes nondum elocatis liberis decedant, quod DEVS
clementissime avertere, liberosque nostros à præma-
turo parentum obitu immunes præstare dignetur,
tunc enim quisque suis liberis pro virili prospicere
ipse met annitetur. Hæc omnia, quo firmitus ser-
varentur, non solum consueti meo sigillo sed &
in majorem rei gestæ fidem manus meæ subscriptio-
ne firmare, hocque chirographo memet obligare
volui, ut si forte vel minimum horum à me non
servaretur, dicti liberi me ceu perjurum in jus
rapere possint. Actum Kitzingæ die 10. Septem-
bris Anno 1653.

LS.

Testis

Spirensis Canonicatus Quæstor
Lochgovia atque Horrhem

Christophorus Farnnerus.

NB. HANC

NB. **H**A N C Ego obligationem à Farn-
nero nec requisivi nec accipere
volui, sed eum monui, ut primam, qua
contentus essem, servaret: Hanc enim nul-
la alia de causa mihi dedit, quam ut plura ex
me eliceret: Quia vero jam tum fraudes
ejus sub odoratus sum, nec pro lubitu suo
omnia resciscere potuit, mentionem tan-
dem in aliqua epistola facit datæ mihi de
novo obligationis, existimans se ea ad ulte-
riorem communicationem me obstrinxisse,
cum tamen satis superque ei ostenderim,
me ea non indigere, sed ei illam redditu-
rum: Quia vero eam recipere recusavit,
discerpfi illam quidem, eam tamen ob cau-
sam apud me retinui, ut ostendi posset eum
de novo se obligasse, quod sine evidenti
causa certe non fecit.

Extracta ex Quibusdam literis à F A R N-
N E R O ad me datis, ex quibus vide-
re est, quantopere se mihi obstrinxerit.

CE R T I O R E M itaque eapropter te fa-
cio, me brevi subsequuturum & de certo quo-
dam domicilio, usque ad ulterius iter, nobis pro-
specturum: Vxor quidem mea quam libentissime
una iret, ut constituendis hisce interesset, quo pa-
cto

Et verò id fieri possit non video, cum commodè id effectum dari non possit: Constitui tamen post octiduum, nempe die 14^a . Aprilis si per otium & valetudinem meam licebit, hinc proficisci, atque idcirco amicissimis vestris literis repromitto, unà cum dilecta conjugē meā & omnibus meis subsidio tibi me futurum teque bona laborum tuorum parte, summa cum observantia sublevaturum: Quia vero tam citò ad vos iter meum intendere constitui, non opus est hac vice plura scribere. Datum die 26. Martii Anno 1653.

Ex alia quadam Epistola die 17.

Julii 1653.

EXCUSATUM quoque scio me abundè habebis, quod ad te non venerim siquidem omnis culpa penes uxorem meam est, quæ simulando se una ituram clam omnis generis obstacula mihi objecit, ne nefarium istum (convictorem suum dicit, quem postea temporis interfecit) nebulonem perderet:

Quare etiam atque etiam oratum te volo, ne me derelinquas, sed solito tuo favore prosequi me pergas: Ego vicissim officio meo, quemadmodum promisi, satisfaciam, nec committam, ut quicquam in me desideretur, quia etiam de causa id & melius & citius effectum dabo.

Adhuc

Adhuc ex alia Epistola, data die 29.

Julii 1653.

QUANDO QUIDEM itaque promissa mea, quibus ad te venturum me affirmaveram, sceleratæ conjugis meæ fraudulentæ calliditate irrita facta sunt, ni fortè scelestum ejus Amasium itineris socium recipere voluissem, ideoque tandem aliquando justissimum Numen perfidiam illam patefecit & finivit, meque in eum statum collocavit, ut omnia mea consilia pro lubitu meo sine ullo impedimento tibi, Domine colendissime, permittere possim, quare me totum tibi mancipo: & licet præcipuæ authoritatis viri suaserint, ut confestim novis nuptiis me applicarem, non tamen faciam, sed Consilium tuum, Patris & Patroni loco mihi colende, solum sequar: Quocircà quam primum divortium huicque affinia transacta fuerint, mihi que fata & vitam & prosperam valetudinem concedent, ad te, Patrone colende, me conferam, tuæque tutela & protectioni me committam, eaque de causa de laboratorio quicquam hac vice scribere supersedebo, præterquam quod ex literis tuis perspexi, quod indies compendiosius omnia procedant: quare licet hætenus à multis sollicitatus fuerim, tamen omnes quantum fieri potuit commodissimè à me rejeci, hac addita spe, me prius consensus tuum acquisiturum, atque ita manua-

B ope-

operationem nonnullis pro remuneratione (qua insignem pecunia summam acquirere possem) communicaturum : quæ tamen omnia usque ad felicem nostrum congressum differuntur.

In alia quadam Epistola dicit.

SE confidere quod omnes scriptis editos processus meos elaborare possit , præterquam quod vasa non semper in igne perstent , & Pharmacopole medicamenta à se sumere recusent , nisi modum preparandi adderet : Aliàs existimasse se singulis mensibus quinquaginta Imperiales pro parte mea mihi se daturum , prout demonstrari à se possit : Hæc ejus sunt verba : Quod si mihi obligatum se non scivisset , quorsum singulis mensibus quinquaginta Imperiales mihi conferre voluisset.

Ex his Extractis atque obligationibus quarum plures adduci potuissent , nisi brevitatis studio omissæ essent , abundè liquet , Farnnerum obligatum mihi fuisse , quod tamen non fuisset , nisi quid à me habuisset , quod mihi obstrictum illum reddidisset : Quod si vero obligatus mihi fuit , cur perfidus mihi factus est , meque & mea , quæ à me habet , mendacissimo suo scripto contemnere & deprimere summoperè contendit ?

dit ? Exindè igitur unusquisque perspicere potest, quid de eo judicandum, & quam perfidè erga me se gesserit, ingratumque animum suum satis superque cognoscendum declaraverit.

NB. Ne vero cuiquam fortè suspicio suboriat, quasi in detrimentum Farnneri unum atque alterum verbum in mihi datis obligationibus ejus invertissem & pro me interpretatus essem, autographum ejus per Notarios & Testes describi & unà excudi curavi qui non negabunt, autographum ipsius à verbo ad verbum ita habere, quemadmodum typis excusum est.

Specificatio Eorum Chymicorum Secretorum, quæ infra scriptus à Glaubero didicit, & in examine vera esse comperit, illorum quoque quæ hætenus inventa & examini subjecta sunt, ubi sciendum, quod illa, quorum hic mentio nulla fit, quantumvis ea Glauberus deprædicet, in practica secundum ejus informationem voto non responderint; addito simul pretio, quo verissimam examinis trutinam experta secreta, is, qui fortè ea discupiet, pro informatione solvere tenebitur.

B 2

1. P A -

I. PANACEA GLAUBERI

30. Imperialibus.

CIRCA quam hæc consideranda veniunt: Majori ex parte ea ex antimonio conficitur, cui secundum vulgarem modum sulphur extrahitur, quo facto alia adhuc fit separatio, qua ex integra libra sulphuris antimonii vix ultra duas aut tres uncias quis sulphuris purissimi accipiet: sunt quidem adhuc duo alia subjecta quæ aureū sulphur idque melius quam antimonium dant: Reperi vero hætenus modum ex omnibus metallis (excepta Luna & Sole) & mineralibus crassum & purum sulphur eorum extrahendi, ex eoque Glauberiano modo tincturas conficiendi: omnia isthæc annexa Secreta dicto pretio docebuntur.

2. Omnia Mineralia & Metalla in scorias reducere, Glauberiano modo in nihilum reducere, & sine sumptu in formam suam revocare, aut in oleum fluidum aut pulverem aut Tincturas

cturas convertere, quæ superioribus affinia sunt : viginti Imperialibus.

3. Alkahest Glauberi , cumque præparandi modus fortè Glaubero incognitus, firmiorique fundamento suffultus, quinquaginta Imperialibus.

4. Omnis generis ærum examina, non quidem in omnia æra, quippe cum fermè quodlibet eorum singularem practicam requirat.

5. Flores Corallorum vili sumptu in copia conficere, decem Imperialibus.

6. Stanno fuso duritiem dare, ut nitidum fiat & Lunæ sonitum adæquet, decem Imperialibus.

7. Albas Vitrificationes super vasa, pro decem Imperialibus.

8. Spiritus Salis in copia.

Hic Glauberiano modo non præparatur : & quamvis insigne hoc sit Glauberi mendacium quod uno die in aperto igne quinquaginta libras spiritus præparari posse affirmavit, ultra unam tamen vel duas libras non pro-

B 3

ducat ;

ducat; quare meum hocce inventum longe melius, spiritusque hic per se est, Glauberi vero Vitriolo permixtus.

Quamvis verò magnam pecuniæ summam pro secretorum horum communicatione Glaubero dederim, nullum tamen eorum secundum ipsius informationem verum esse reperi, sed in omnium superiorum elaboratione singularia adminicula quærere necesse habui. Sequentia verò; licet à Glaubero ad me devenisse videantur, tamen secundum ejus informationem planè mihi non successerunt, sed aliud fundamentum indagare coactus sum, quod à Glaubero ita facile non invenietur.

9. Spiritus Vitrioli, Nitri, Salis, Aquam fortem & Aquam Regis in Copia præparare, sulphur etiam, verum nondum examine comprobatum: Hunc modum Glauberus minimè præstabit vel inveniet, quadraginta Imperialibus.

10. Spiritus Minerales Volatiles in
Co-

Copia conficere, qui spiritus priores phlegmate in alembicum ascendunt, supradicti vero post phlegma.

NB. Hi spiritus gustu fermè spiritum vini referunt, consimiliterque evaporant, & Corrosionis expertes sunt: nec dubito quin ex Metallis ejusmodi spiritus quoque præparari possint, sed in Metallicis nondum examen institui.

11 Flores Mineralium & Metallorum fermè sine decremento compendiosè sub cooperculo frixatorio quod Glauberus nunquam vidit, decem Imperialibus.

12. Quinta Essentia omnium vegetabilium.

Et si quidem Glauberus in lucem emissio suo tractatu id quoque polliceatur, nunquam tamen id ex omnibus vegetabilibus præstabit, sed solum ex calidis, quæ olea dant, quod nullius est momenti, illud verò, ex frigidis nempè herbis, artificii est: triginta Imperialibus.

B 4

13. Omnia

13. Omnia vina acida in dolio ad maturitatem perducere & viribus augere, ut optimis paria aut meliora fiant, ducentis Imperialibus,

NB. Hic sciendum est, me graviter impegisse in tractatione vinariorum Secretorum Glauberi : & si mihi mea ipsius industria natura non melius innotuisset, potuissem quidem secundum ejus informationem vini vires augere, sed cum ingrato sapore, ita ut acidum vinum; nullis artificiis tentatum, præoptarem. Jam verò facilè mihi est non solum omnes potus ex uvis acidis & dulcibus, ex arboreis fructibus aliisque in dolio ad majorem maturitatem perducere, viribus augere, sed & adeo suaves reddere, prout cuique libuerit: Quicunque Glauberi vina gustavit, & inposterum mea gustabit, discrimen facile animadvertet.

14. Omnibus vinis qualemcunque saporem libuerit constantissimè indere.

15. Spi-

15. Spiritum ardentem ex omnis generis frumentis in copia cum magno commodo & lucro, ei qui ex fœcibus vini conficitur simillimum & omnia examina subsistentem, præparare: jamque octo libræ ejus in examen, an aquas marinas sufferre possint, trans mare missæ sunt, quod si examen illud sustinebunt, ducentis Imperialibus.

NB. Præterea non nescius sum omnes spiritus ardentes in unum formam redigere: veluti spiritum juniperi vino adusto ex vino vel frumento factò, similem, vel spiritum vini spiritui frumenti vel juniperi similem reddere, ita ut dignosci non possit, ex quo subjecto prodierit.

Nec dubito ex his quoque notam mihi causam esse, quare potus quidam trans mare vecti corrumpantur: Quod si igitur examinis hujus beneficio certitudo mihi innotescet, dicta causa & quo pacto ei subveniri debeat, à me pro honorario addisci poterit.

16. Om-

16. Omnes Cerevisias viribus augere, ut virtute vino Rhenano nihil concedant, & tamen cerevisia nihil de sapore suo deperdat, sed suavior & durabilior evadat, quippe cum ea hoc pacto non adeò facile acefcat: Quod si verò depravetur, quod longi temporis tractu etiam vino accidit, acetum, quod exinde orietur, vini aceto simile futurum esset: Quinquaginta Imperialibus.

17. Cerevisiæ acidæ dulcedinem reddere, ut intra quatuordecim dies ceu recens vendi, atque ita tribus aut quatuor vicibus sine sumptu denuò quatuordecim dierum spatio constanter dulcis reddi possint.

18. Acetum ex frumentis & con-
similibus; aceto vini per omnia simile
& constans præparare, quinquaginta
Imperialibus.

19. Acetum ex viridibus lignis,
quotidiè centum mensuras, una cum
oleo ligni præparare sine sumptu, ve-
rum si eo quis instar alterius aceti uti
velit,

velit, requirit rectificationem, quæ non nihil temporis & sumptuum poscit: decem Imperialibus.

20. Quamvis Glauberus tractatulum ediderit, quo pacto tartarus ex ustis vini fœcibus confici debeat, nihilominus tamen adhuc multos errores etiam secundum ejus oralem informationem commisi, donec excogitatis aliquibus compendiis tandem cum fructu id feci, inque Chrystallos plane redegei.

NB. Quicumque præscriptum tractatuli ipsius sequi volet, ei liberum est.

21. Omnia ♀ æra cum utilitate separare, & emolumentū exinde parare.

22. Ejusmodi ♀ æra si forte ♂ quid habeant, exinde id cum fructu separare, sine jactura cupri & plumbi.

23. Ex Testis & Cupellis vili sumptu & labore plumbum separare.

24. Argentum & Aurum per fusionem separare.

25. Furnum extruere, in quo simul

mul metalla torreri, liquefieri, & in probationibus cineritii examinari possunt, minores probas centum crucibulorum vel ultra continentem, calorem ligno subministrante.

26. Præterea Furnum, in quo sine folle in quantitate per cineritii probationes examinare licet.

Et denique

Quandoquidem minora examina me sæpius deceperunt, si majori quantitate opus aggressus fui, quibus potissimum rebus spes mea innitatur, docebo.

1. In minori examine comperi, me cum spiritu vini (si generaliter præparatus fuerit) omnium subjectorum Vegetabilium, Animalium, Mineralium & Metallicorum anatomen instituire, eorum tria principia separare, volatilia fixa & fixa volatilia reddere, & in alembicum compellere posse.

2. Animam & sal solis ipsum in alembicum compellere, permistumque

que cum spiritu & sale ejus volatili in formam potabilem, instar essentiarum vegetabilium, reducere.

Quia verò aurum in ejusmodi essentiam reduci potest, minus difficile erit, imperfecta Metalla & Mineralia cum suis tribus principiis potabilia reddere: Et hæc principia in volatilitate sua sunt inseparabilia, ideoque quin fixari possint non dubito.

3. Præterea in minori examine reperi modum omnibus spiritibus corrosivis per hunc spiritum generalem corrosionem adimendi, inque oleum dulce sive menstruum reducendi, quod in magna quantitate (auxiliante & annuente divinâ gratia) quoque experiri atque effectum dare constitui: Quod si, ut nullus dubito, voto eventus responderit, Glauberus unâ cum Alkahest suo, qui quidem non planè rejiciendus est, ad latebras confugere cogetur: eam enim, Numinis divini gratia, spem concepi, futurum, ut quodcunque subjectum mihi propo-
fue-

fuero , id separare , ejusque tria principia purgare , denuo conjungere , atque ita melius atque purius subjectum producere possim : Verum enim verò cum toties minori examine deceptus fuerim , non tanquam ipsam veritatem sed ut speculationes interpretabor : Supradicta verò omnia tam in majori quam in minori copia effecta dare possum.

4. Quandoquidem vero tot insignia novaque secreta sese mihi offerunt , ut non possim quin ea penitus cognoscam , ideoque impossibile est , ut supradicta omnia in mei commodum effecta dem : Et quamvis jam multa aggressus sim , ut in posterum eorum magna quantitas , libris & centenariis vendenda , apud me proflare possit , non tamen adeo invidus ero , ut uni atque alteri , à me id expetenti , pro dicta remuneratione quicquam communicare recusem , ne ejusmodi scientiæ planè depereant.

Sciendum tamen est , perquam
mo-

molestum esse cuiquam quid demonstrare, qui Chymix & carbonum tractationis planè expers atque rudis sit : quisquis igitur horum quicquam expetet, aut ipsemet me adire aut literas suas hunc in modum mihi insinuare poterit.

*Christophoro Farnnero, Spirensis Canonicatus
Quæstori, Lochgovix atque Horrhem in Du-
catu VVürttembergensi hæ pateant, Domi-
noque Postarum Magistro Vaihingæ ad En-
zam insinuentur.*

Hæc sunt verba perfidi illius Farnneri, quibus in mendacissimo & scelestissimo suo scripto utitur.

Spe-

Specificatio eorum chymicorum : Hoc initium, benevole Lector, sive exordium est ejus mendacissimi scripti, quo ea secreta, quæ à me habet & bona esse reperit, certo pretio aliis vendenda & conferenda specificat: præterea addit, illa, à me jactitata secreta, quæ sibi ex voto non successerint, his addita non esse, sed ea solum, quorum certitudinem examine comperit.

Jam Tabernæ ejus Institoriæ merces explicabimus, & per partes, quid in ea sit, dispiciemus.

Sequuntur jam hæc verba:

I. Panacea Glauberi.

Circa quam hæc considerata veniunt.

H I c dicit Farnnerus, Panaceam maxima ex parte præparari ex antimonio, præterea adhuc alia duo subjecta esse, ex quibus purius sulphur quam ex antimonio extrahi possit: Quasnam inanes hic venditet phantasias, quidve iis sibi velit, dispicere non possum, cum eum, Farnnerum, nihil aliud, quam ex antimonio purum & medicinale
sul-

fulphur beneficio singularis cujusdam Liquoris, qui mihi Alkahest vocatur, extrahere docuerim : addit etiam, se ex omnibus metallis & mineralibus (excepto Sole & Luna) ejusmodi purum sulphur extrahere & Glauberiano modo in Tincturas convertere posse.

Hanc primam ejus positionem mea excipit declaratio : Farnnerus dicit hic, ex quo subjecto Panacea illa præparetur, potissima nempe ex parte ex antimonio, eamque cuivis à se expetenti pro certo pretio, triginta nempe Imperialium, communicaturum se pollicetur : Perspexisti verò, benevole Lector, ex ipsius mihi data obligatione, quantoperè se obstrinxerit, omnia illa, quæ sibi communicassem, sub pœna infamiæ omniumque bonorum suorum amissione, secreto se habiturum, nullique quicquam eorum communicaturum : Fateor quidem me, continuis ejus sollicitationibus fatigatum, ipsum Panacæ præparandæ modum docuisse, sed nullo alio ex subjecto quam ex antimonio : hanc Panacæam antimonii Farnnerus triginta Imperialibus venalem exponit, quin & complures ejus præparationem docuit, unde ei bona pecuniæ summa rediit, cum tamen hoc ei mini-

C

mè

mè licuerit: Quod verò nihilominus ille id facit, ejus tandem aliquando rationes reddere cogetur, egoque qua ratione huic malo remederi suo tempore possim, videbo: Hac vice saltem indicabo, quam perfidè mecum egerit: Unde compulsus fui, omnia secreta illa, quæ à me habet, & ubique vulgare studet, toti mundo ob oculos ponere, ne quis opus habeat ea à Farnnero pecunia aut aliaratione redimere, sed scientias illas pro nihilo & absque pretio habere possit: si enim ejusmodi scientiæ à Farnnero divulgandæ sunt, qui inique illarum communicatione famam atque divitias sibi parare nititur, præstat, ut eas omnibus & singulis fideliter communicem, ne quis ipsius communicationem pretio redimere necesse habeat: Quia verò Panacæa hæc beneficio ignei & salinosi cujusdam Liquoris qui à me Alkahest appellatur, præparanda est, ideoque necesse est, ut is, qui panaceam expetit, prius liquoris illius præparationem calleat, sine quo aliàs nihil efficere poterit. Doleo sane difficulterque eò perducor, ut adeo excellens Menstruum, quo tot præclara medicamenta præparari possunt, toti orbi publice describam & vulgem, quod nunquam fecissem, nisi perfidus hicce Farnnerus

rus

rus Menstruum hoc, ejusque usum in præparatione prædictæ Panacææ antimonii aliarumque ex mineralibus, animalibus & vegetabilibus essentiarum & medicamentorum omnibus prostituendo atque communicando mutilasset & profanasset: Existimo sane aprum sylvestrem in hortum floribus meis consitum irrupisse, compluresque fructus, magno meo sudore atque labore in eo plantatos, sætenti rostro suo eruisse, cujus facti præmium suo tempore reportabit.

Jam sequitur brevissima descriptio præparationis & usus ejus liquoris, in vegetabilibus, animalibus & mineralibus medicamentis necessario requisita: Et quamvis alium longeque meliorem modum hunc præparandi docere possem, tamen non necesse est omnes simul margaritas porcis projicere: satis superque doleo, quod eas, quas infidus hicce Farnnerus illuc projecit, exinde recipere nequeam, sed cum summo dolore earum interitum intueri cogar.

*De Præparatione & usu Secreti cujusdam
menstrui universalis, quo omnium
vegetabilium, animalium atque Me-
tallorum anatomen instituere, ea cor-
rigere & bona exinda Medicamenta
præparare licet.*

HUjus Menstrui aliquot locis librorum
suorum mentionem facit Neotericus
ille Philosophus Helmontius, eique mira-
bilès efficacias tribuit, quas in præparatio-
ne Medicamentorum exhibeat, eique no-
men Alkahest indit, cujus etiam nominis
Paracelsus meminit, sed paucissimis verbis,
idemque est ac si diceres Alkali est: quando
enim litera L. & j. virgula junguntur,
prodit exinde dictio Alkahest: Quid verò
Helmontium moverit, quod Menstruo
huic nomen Alkahest fecerit, de eo hic
nulla est controversia: Ego sane existimo
ideo id factum, quod naturam & Essentiam
ejus hoc nomine demonstrare voluerit: Ger-
manicè enim Alkahest quasi *Al gar heis* sive
Al zu heis est. Brabantico vero idiotismo,
authoris quippè lingua materna, sonat *Al tho
hees*, quod est, nimium calidum, atque ita
nomen essentiæ respondet, Hic enim liquor
nihil

nihil aliud est quam mera ignea aqua, cujus immenso atque abscondito calore Vegetabilia, Animalia & Mineralia, si in ea ad certum tempus digerantur, adeo corriguntur, maturantur & meliorantur, ut in salubria & præcellentia medicamenta evadant, quod absque ignea hac aqua fieri non potuisset: Est itaque hoc Menstruum nihil aliud, quam igneus ex urinosi salibus præparatus liquor, qui iis virtutibus præditus est, quas illi in tractatulo meo de silicibus tribui.

Admonitio.

NOtari hic debet, quod hoc Menstruum ex pluribus quam uno subjecto præparari possit: Natura enim copiosa est, nobisque multivaria subjecta ob oculos ponit, ex quibus artis beneficio variæ res componi possunt, quemadmodum in mirabili hoc liquore videre est, qui non solum ex communi sale terræ vel sale nitro, sed & ex omnium vegetabilium præcipuè verò Tartari sale fixo confici potest: Nec refert ex quo subjecto præparatus sit, modo eas virtutes habeat, quæ ei adscribuntur, quippe cum sal commune terræ & sal fixum vegetabilium unius ejusdemque sint naturæ atque

C 3

Essen-

Essentiæ , si legitima præparatio accedat. Nam ex sale Tartari genuinum sal terræ vel nitrum fieri potest . & ex sale terræ sive nitro sal fixum , sali Tartari simile : Ex spiritu vini sal Tartari & ex sale tartari spiritus vini : Ex aceto vini nitrum , & ex nitro acetum corrosivum. Participant itaque salia illa de utraque natura & prout libuerit tractari se patiuntur , nec immerito Hermaphroditica salia ab antiquis Philosophis vocantur. Quare non est quod quisquam vili ejus origine offendatur , idque propterea vilipendat : nihil interest , unde bonum promanet , modo bonum sit , & in bonum usum converti possit : Debebant bonæ res eo majori in pretio haberi , quanto vilior atque abjectior earum origo foret : Natura enim & vera ars in suis operibus saltem vilibus atque abjectis rebus utitur optatumque nihilominus finem consequitur , è contra verò hominum vana atque inanis ratio nihil nisi altum & speciosum in opere suo adhibet , atque idcirco nihil ad bonum finem perducit , felicique destituta successu maximo cum damno irritos labores suscipit : Observari itaque hic debet , quod ideo illud , quod multo labore atque sumptu ex pretiosis rebus confectum est , solum bonum non sit , sed potius illud ,

illud , quod licet vilissimam habeat originem , modo bonum sit , bonum esse atque existimari debeat : Hæc admonitio solummodo eum in finem hic addita fuit , ne quis brevi & vili mirabilis hujus liquoris præparatione offendatur , sed , ut opus artificem suum laudet , concedere velit.

Sequitur jam Præparatio.

SI quis hoc Menstruum ex sale terræ præparare vult , tunc oportet sal illud cum aqua communi ex fertili terra extrahere , coagulare , additisque carbonibus aut alio vegetabili sulphure , figere , sive calcinare , tam diu , donec in aëre in igneum resolvatur liquorem , tunc præparatio finita est. Quia vero ejusmodi terram , ex qua sal illud extrahi possit , non ubique reperire licet , ejus loco bene depuratum nitrum sumi potest , quod in crucibulo liquefieri debet , super quod frustula carbonum injicienda sunt , idque tam diu , donec carbones super fluente nitro ignem amplius non concipiant , sed illæsi super illo permaneant , tunc enim nitrum tuum fixum est & præparatum , ut ex illo tam mirabilis aqua fieri possit , quod in hunc modum fit. Dum nitrum fixum ad-

huc in tigillo fluit, in mortarium æneum effundi debet, ut in eo refrigescat, deinde in pulverem redigi, super tabula vitrea in cella sive loco humido collocari, ut ibi fluat, sic igneam illam aquam assequeris, quæ tam mirabilibus virtutibus pollet in præparatione medicamentorum ex vegetabilibus, animalibus & mineralibus, de quibus in præcedentibus mentionem feci. Sin autem ex Tartaro talem liquorem conficere volueris, qui pro præparatione medicamentorum ex vegetabilibus & animalibus optimus erit, tunc Tartarus communis & purus per calcinationem, filtrationem, solutionem & coagulationem in pulchrum & pellucidum sal redigendus & per filices ab omni impuritate purgandus est, miscendo videlicet sex vel octo partes tartari purissimi cum una parte bene pulverisatorum filicum, quam mixturam in crucibulo cooperto liquefacies, inque mortarium æneum effundes, ut frigescat: Hanc pellucidam igneam atque albam massam in pulverem rediges, eamque cucurbitæ vitreæ indes, & superfusa aqua pluviali super arena calida coques, tunc enim aqua pluvialis tartarum solum dissolveth & filices in fundo mucilaginis instar relinquet, quæ simul omnem tartari impuri-

puritatem , quæ per vulgarem solutionem & filtrationem antea auferri nequibant , ad se trahit , secumque retinet , ita ut sal tartari ad hunc modum ab omni impuritate liberetur & purgetur : Hanc solutionem autem filtrare & aquam ab ea per alembicum abstrahere oportet , ita ut in cucurbita vitrea remaneat igneus ille & crySTALLINUS liquor : Et hæc est præparatio illa qua vegetabilia & animalia in optima medicamenta reducuntur , sed ad metallicorum medicamentorum præparationem præsertim autem ad meliorationem illorum non est adhibendus liquor tartari , sed solummodo liquor salis nitri fixi , qui non per carbones sed per regulum antimonii præparatus sit , idque in hunc modum .

Misce uni parti reguli antimonii Martialis sive stellati tres partes de purati atque pulverisati nitri , hanc mixturam vitro bene lutato impone , & fac ut in furno fixatorio per prudentem ignis auctiorem paulatim incandescat , & in hoc gradu ignis per quinque aut sex horas relinque , deinde exime , ut refrigeret , tunc subtilissimè pulverisa , eique aquam pluvialem superfunde & nitrum , quod per regulum antimonii fixum evasit , elue , atque aquam denuo abstrahere , sic remanebit

C 5

tibi

tibi igneus liquor, quo ad metallicas operationes uteris.

NB. Hæc fixatio æque fieri potest in crucibulis coopertis ac in vitris, satque bona est, modo ignis regimen bene observetur, nec calor à principio nimis sit intensus, ne nitrum tuum evaporet, antequam ad fixationem perductum fuerit, sed paulatim ignem sufferre assuescat, & in antimonii conjunctione fixum efficiatur.

Praxis, quomodo videlicet mediante hoc liquore vegetabilia, Animalia & Mineralia in bona medicamenta converti possint.

R Ecipe herbam, Radicem vel semen, contunde in saxeo mortario minutissimè, inde cucurbitæ & tantum ignei hujus menstrui superfunde ei, ut herba satis eo sit imbuta, deinde super arena per aliquot dies digere, aut coque, ut ex herba & Menstruo spissus fiat liquor, quo facto tantum spiritus vini bene dephlegmati, quantum fuit liquoris Alkahestici, ei affunde, beneque permisce, & in calore tepido, ne spiritus vini exhalet, tam diu digere, usque dum separatio facta fuerit, & Alkahest tuus cum
fæci-

fœcibus fundum vitri petat , spiritus vero vini cum essentia & virtute herbæ in superiori parte resideat , quæ deinceps , quantumvis etiam moveantur & agitentur , invicem non misceantur , sed quodlibet eorum solum maneat : Totam istam materiam in vitrum amplioris orificii infunde & permittite ut resideat . Tunc medicinam , quam spiritus vini ex herba extraxit , leni inclinatione à liquore Alkahestico qui fœces herbæ apud se retinuit , separa , sic habebis virtutem & essentiam benè correctam & perfectè maturatam in spiritu vini , quem in leni balneo ab essentia herbæ abstrahe , & medicinam quæ instar succi rubri magnisque pollens virtutibus remansit , serva , & illa prout à Deo & natura est ordinata , utere . Liqueurum verò Alkahesticum , fœcibus herbæ permistum , in figulino vase exure , ut omnis sapor atque odor herbæ , qui in eo remansit , ab eo exhalet , & deinde in aqua solve , & filtra , & ad liquorem usque igneum aquam abstrahe , sic æque bonus est ac fuerat ante , & ad similes labores , quotiescunque volueris , usui tibi esse poterit .

Animalia eodem modo in saxeo mortario contunduntur , liquore Alkahestico superfunduntur , digeruntur , & per spiritum
vini

vini separantur, idemque ac in vegetabilibus labor est.

Metalla verò in appropriatis suis menstuis corrosivis solvi, præcipitari, ablui, edulcorari, exsiccati & tunc demum cum liquore Alkahestico superfundendi, digeri, solvi, cum spiritu vini separari, & in potabilitatem reduci debent.

Mineralia autem, quæ pulverisari possunt, non opus est dissolvere, & in calcem redigere, sed sufficit, ut post pulverisationem cum liquore Alkahestico superfusa digerantur, & per spiritum vini separentur.

Pro lubitu tamen tuo Metalla etiam friabilia, frangibilia ope nimirum reguli antimonii, quo pulverisari possint, reddere potes, & tunc Menstruum tuum illis affundere, ea solvere, digerere, & in medicinam convertere: qui modus sane bonus est: Poteris etiam alio modo cum Metallis per antimonium præparatis, procedere, videlicet misce illa cum tribus partibus nitri puri, inque vase vitreo vel terreo per viam siccam solve, digere, & fige, & per spiritum vini in medicinam præpara, quod etiam bonum erit, commodior enim est operatio per viam siccam, quam per humidam, ut in vegetabilibus & animalibus fieri consuevit.

Et

Et hæc est proxima via animalia, vegetabilia & mineralia per liquorem Alkahesticum in optima medicamenta reducendi.

Quomodo verò imperfecta metalla aut mineralia, quæ alias in Cupella seu Cineritio examine prorsus nihil auri vel argenti derelinquunt, ad maturitatem perducenda & figenda sint, ut deinde in Cineritio examine perfectum aurum atque argentum emittant, sit alio modo, cujus processus hic est.

Misce & liquefac tantum reguli antimonii cum imperfectis metallis aut mineralibus, quantum satis est ad friabilia ea reddenda, quo pulverisari possint, his misce tres partes nitri purissimi, & hanc mixturam, bene lutatam in vitreis aut figulinis vasis per aliquot horas ad figendum igni impone, deinde exime & simul liquefacta effunde, ut regulum emittant, qui eximitur & cum plumbo cupellæ impositus, in scorias redigitur, tunc aurum & argentum illud, quod imperfectum metallum aut Minerale in fixatione adeptum erat, in cupella residet, quod ad minora pondera probationis examinari potest, unde liquebit, quantum ejus tantilli temporis spatio fixatum fuerit.

Hæc est plenaria & fundamentalis Instructio

ctio de tartari usu, per silices purgati, ad extrahendam Essentiam vegetabilium & animalium, & de usu nitri per carbones & regulum antimonii fixati, quod penetrantem corrigenstem, meliorantem seu maturantem, & purificantem igneam sed non corrosivam virtutem nanciscitur, quæ omnia transit, penetrat & corrigit, sicuti de eo superius scripsi, eique attribui.

NB. Harum rerum ignari, qui inter res naturales nullum possunt statuere discrimen, Liqueurum hunc corrosivum existimare & proclamare ne possint, præveniemus eos, demonstrareque conabimur, liquorem hunc nullo modo corrosivum sed omnium corrosivorum hostem atque destructorem esse.

Simile simili gaudet, cum eo miscetur, & immutabiliter cum eo permanet, ut in spiritu salis, vitrioli, aluminis, nitri, aceti, & aliis corrosivis spiritibus videri licet, quando invicem miscentur. Dissimiles verò res si jungantur, sibi invicem contrariantur interque se pugnant, alterumque in aliud tam diu agit summa vi, donec validum vincat debile & illud mortificet, & perdat, aut aliam exinde substantiam producat: id quod videre est, si liquor igneus hicce tartari vel
nitri,

nitri, cum spiritu corrosivo misceatur, consistere enim cum eo, cum contrarius ei sit, minimè potest, tunc horum qui est fortior debiliorem destruet, & ipsi suam naturam & proprietatem eripiet.

Pugna autem hæc ex dissimilitudine naturarum utriusque liquoris oritur: Corrosivum enim aliud corrosivum non destruit, ut & urinosus liquor fixus alium liquorem urinosum non destruit: quia contrarium agit in aliud contrarium & non in sui simile, ita quidem, ut hinc satis colligi & demonstrari possit, quod ejusmodi liquor tartari vel nitri fixus non sit corrosivus sed omnium corrosivorum, quippe cum ea mortificet, & corrosivam facultatem eis adimat, infensissimus hostis & tantum aqua ignea.

Sed dixerit quis etiam corrosivos spiritus salis, aluminis, nitri, vitrioli, iisque similes esse aquas igneas: Fateor id quidem, sed hac tamen distinctione, quod nimirum ejusmodi spiritus sint quidem aquæ calidæ, sed non vivificantes, quin potius frigidæ & mortificantes aquæ igneæ, quæ nullo modo vegetabilia, animalia & metalla maturant, purgant, aut corrigunt, sed omnia, quibus commiscantur, destruunt & mortificant: Fixus verò liquor nitri vel tartari
con-

contrarium exhibet, & omnia, quibus miscetur, maturat, purificat, & ad perfectionem perducit, quod omnibus corrosivis impossibile est: Unde sole meridiano clarius elucet, cum non esse corrosivum destruens, sed ignem corrigentem.

Sequitur jam alterum membrum
Epistolæ Farnneri.

2. *Omnia Mineralia & Metalla.*

DEmiror sanè, quod Farnnerus non vereatur processum hunc aliis pro pretio exhibere, qui tamen multis librorum meorum locis clarè atque apertè descriptus est: fitque solummodo per nitrum, per quod sulphurea (non vero omnia metalla & mineralia, prout ille vanissimè gloriatur) metalla in scorias rediguntur, ex quibus per spiritum vini, metallica Tinctura extrahi potest, uti supra in tractatione Alkahesti docuimus: Scoriæ illæ planè igneæ sunt, ideoque facilè aerem adtrahunt, & in oleum vertuntur, de quo in secunda & quarta Furn. parte & in opere Minerali, præsertim in Explicatione Miraculi Mundi, ut

tit & in Colloquio meo Hermetico pluribus & prolixius agitur.

3. *Alkahest Glauberi.*

IN hoc paragrapho Farnnerus vaniloquentiam, jactantiam & in bonorum virorum industria atque labore reprehendo diabolicam suam calumniam apertè prodit, deque firmiori fundamento, quod mihi fortasse absconditum sit, gloriatur: Unde cuius sana mente prædito facilè liquebit, quid ingratiſſimus hominum hicce intendat, nimirum quod unicè id agat, ut quantum fieri possit sibi à me concredita secreta apud omnes in contemptum adducat, ineptissimasque econtra nugas suas introducat.

Primo dicit, Alkahest Glauberi, & mox subjungit, eum alio & meliori fundamento inniti: Quod si quid aliud quam meum Alkahest indigitare voluit, cur ergo Alkahesti mei mentionem facere eumque contemnere non intermittit, quidve eum vocat Glauberi Alkahest? Cum tamen illum contemnat, mihi que quo fundamento ille nitatur fortè incognitum esse dicat. Nunc pretio quinquaginta Imperialium venalem exponit.

D

4. *Omnia*

4. *Omnis Generis Ærum examina.*

PRæstituiſſet ut hunc paragraphum Farnnerus inter merces ſuas non repoſuiſſet , non enim meretur , ut pecunia ab eo redimatur : Vulgaria enim ærum examina inſtituere non ſolum multi metallorum Affinatores , uti Lazarus Creſſer / Georgius Agricola , aliiſque complures , ſed & ego multis ſcriptorum meorum locis , præcipuè vero , in Explicatione Miraculi Mundi , copioſè atque exactiſſimè docui , quod Farnnerus nec imitari nec emendare in æternum poterit.

5. *Flores Corallorum.*

QUod hunc proceſſum attinet , ſciendum eſt , Farnnerum ejus præparationem non à me ſed ab alio didiciſſe , qua mirum ſibi placet , cum tamen nullius ſit momenti.

Indigniſſimè verò hoſce , quos decem Imperialibus venales habet , flores Corallorum vocat , cum nihil minus quam flores ſint , ſed potius Cremor appellandi , quippe cum coralli ſaltem igne fortiſſimo in alben-

bentem calcem hoc pacto reducantur, ex qua calce deinceps adminiculo aquæ cremor elicitur hunc in modum: calcinati coralli aqua communi superfunduntur, & aqua super illis per noctem relinquitur, tunc illa in superiori parte cuticula obducitur, uti in calce viva quoque fieri consuevit, quam detractam arefacere oportet: interim denuo alia cuticula apparet, quæ etiam tollitur, idque tam diu, donec aqua cuticulam amplius non induat.

Scio quoque hunc pulverem in quibusdam Pharmacopæis secreto haberi, ceu singulare quoddam arcanum, verum ne griquidem præstat illo, qui ex calce viva præparatus est: quod etiam nonnullis, qui magna huic pulveri tribuebant, indicavi, qui facto experimento vera me protulisse videntes, quid ergo opus est, dixerunt, pretiosos corallos cremare, cum calx viva sive communis idem præstat quod coralli, nullumque imposterum pulverem ex corallis, sed ex calci viva præpararunt.

Secretum igitur hoc dici non meretur.

NB. Quod cremati coralli, uniones, conchæ margaritarum & aliæ testudinum conchæ, tam illæ quæ sunt ex mari quam quæ sunt ex fluviis currentibus, si concre-

D 2

men

mentur, in veram naturalemque calcem perducantur, ei, quæ ex crematis lapidibus conficitur, per omnia similem, nulla eget probatione. Qui dictis meis fidem habere non vult, conferat se in Batavium & alia loca marina, & videbit quod homines illarum regionum ad murorum exstructionem non utantur calce, ex lapidibus confecta, qua illic locorum distituuntur, sed calce ex crematis conchis, quas mare magna copia in littus ejicit, præparata, quæ tamen bonitate cum illa calce, quæ ex saxis præparatur, conferenda non est, quam nonnulli curiositatis amatores etiam ex Germania afferri curant.

6. *Stanno fuso duritiem dare.*

ET hunc paragraphum optimo jure omittere potuisset, non enim meretur, ut quisquam decem Imperiales pro eo solvat, quippe cum artis non sit id facere, atque ipse multos ante annos id descripserim, tam in prima parte operis Mineralis, quam quarta parte Furnorum, sitque per regulum antimoni, cujus una pars cum partibus liquefacti stanni 12. miscetur, plus enim non admittit, friabile namque stannum alias fieret, & ad
tra-

tractandum inutile redderetur : Imo si saltem una pars reguli cum viginti partibus liquefacti stanni misceatur, sat durum inde evadet: Quin etiam per zincum id fieri æquè bene ac per regulum antimonii poterit, nulloque indiget labore & citius liquefcit quam regulus antimonii.

7. *Albas Vitrificationes.*

HÆ quoque vitrificationes, quas decem Imperialibus venales exponit, non sunt magni momenti, præparantur enim vitro Saturni & cineribus Stanni, ex silicibus & lignorum cineribus.

Pervulgata hæc in Batavio est præparatio: An Farnnerus verò eam præstare possit, de eo valde dubito: Quomodo igitur alios docebit: Et si præstare posset, cui hic bono esset? nemo enim est, qui ejusmodi curiositatibus studeat, aut eas expetat vel desideret.

Quamvis verò Glaubero.

Hic Farnnerus iterum ingentem acervum infernalium suorum mendaciorum, quovis cadavere deterius foetentium, simul in me evomit, ut iis ceu veneno me inficiat,

Sed minimè cum præcedentibus respondent hæcce mendacia : Hic enim dicit, quamvis, magna pecuniæ summa, secreta quædam à Glaubero redemerit, nullum tamen eorum examen substituisse, sed coactum se fuisse ad alia compendia divertere. In principio calumniosi sui scripti ita scribit : Specificatio eorum Chymicorum secretorum, quæ infra scriptus à Glaubero didicit, & in examine vera esse comperit.

Hic facile quivis sanus videre poterit, quid de bilingui hoc monstro judicandum sit : Hic infitiatur, quod antea confessus est, Glauberianaque secreta vocavit, nihilque omnino ex his sibi successisse, hic affirmat : Quod si verum est, cur nomen meum eis præfigit, si nullum eorum examen subsistit ? Quod si vero ei successerunt, eaque vera esse in examine comperit, quemadmodum ipsemet supra fatetur, cur hic illud negat ? Numquid eadem res hoc loco vera, alio vero falsa esse potest ? Certè tam horrenda mendacia nulla re melius quam suismet verbis refellere possum.

Si enim dicerem, ecce hic, illic, vel isto loco mentiris, nihil ille id curaret, sed mihi responderet, se minimè mentiri, quin verissimè locutum esse, possemque videri præ-

præsentare litigium inter duas rixosas feminas, quarum una alteram meretricem appellat, altera verò convitia illa in illam regerat: hoc enim pacto nihil ageretur: Quare alia rem aggrediar via.

In prima sua obligatione quam mihi dedit, expresse dicit, quod sibi nonnulla secreta communicarim, demonstrarim atque ostenderim: Quod si illa usui ei non fuerunt, quare adeo validam obligationem mihi tradidit, se illa secreta debito silentio custoditurum? His omnibus non attentis, cur in omnibus ferme literis suis, quas ad me dedit, quæque bene asservantur ut hujus rei testimonium perhibere possint, confessus atque professus est, quod una cum conjuge & liberis suis mihi obstrictus sit, & ad me conferre se velit, ut cum suis mei ad extremam usque senectutem curam agere possit.

Si nihil mearum rerum ei successit, cur longo tempore post de novo se mihi obligavit, quod gratus erga me esse velit? quemadmodum paulo ante positæ obligationes ejus & extracta demonstrant.

NB. Ecquid octodecim mensium spatio earum rerum quæ à me habuit, examen ei instituere non licuit? Quod si verò examen veritatem earum comprobavit, deque no-

vo sese obligatione mihi obstrinxit, cur ergo hic audet dicere, nihil earum rerum, quas sibi communicassem, sibi successisse, cur biennio post, jam à me alienatus ruptisque promissis suis ad me veniendi & meum laboratorium dirigendi, ducta nova nupta emanationem suam excusans, nihilominus à me petiit, ut plura secreta sibi communicarem, tunc enim certò se venturum.

NB. Quod si igitur priora secreta examen non substiterunt, quare plura à me expetit?

Integro enim biennio satis superque reficere potuit, conducere ne sibi mea scripta, an non.

In alia quadam epistola, in qua gloriatur de interfecto illo homine, ita scribit: Quare etiam atque etiam oratum te volo, ne me derelinquas sed solito tuo favore prosequi me pergas:

Ego vicissim officio meo, quemadmodum promisi, satisfaciam nec committam, ut quicquam in eo desideretur, quae etiam de causa id & melius & citius effectum dabo.

Ex his & similibus verbis, quibus una atque altera epistolarum suarum ad me utitur, nullam fraudem colligere potui, fortassis

rassis etiam tunc temporis mala fide nondum egit.

Quam primum verò hominem illum interfecit aliamque conjugem duxit, omnia ipsius promissa cum obligationibus simul evanuerunt. Et ex eo tempore omnes suos conatus eò intendit, ut mihi damnum inferret, stimulanteque invidia majori indies erga me odio exarsit, quod tandem in mendacissimas hasce calumnias conversum est.

Existimò sanè diabolum confestim, atque homicidium illud perpetravit, cor ejus infedisse.

NB. Teste enim ejus ad me data epistola per integros quatuordecim dies occasionem quæsit, quomodo hominem illum apud conjugem suam deprehenderet, sanguinolentamque de eo vindictam sumeret, instinctu ut opinor Sathanæ, quo & vir ille in peccatis suis interimeretur, & fœmina, vulneribus lacerato atque saucio capite, ad impudicum vitæ genus adigeretur, cujus utriusque peccati Farnnerum propria conscientia hodieque reum agit, à quo sine dubio etiam nunquam (ni brevi pœnitentiam agat) liberabitur.

Quod si ira præpeditus aut fortuito casu id fecisset, excusationem aliquam mereretur.

D 5

Inte-

Integros verò quatuordecim dies in ejusmodi proposito perstare, nihil est, nisi diabolica vindicta & crudelitas, quæ Christianum hominem nullo modo excusare potest, quantumvis etiam obveletur.

Ex quo hoc factum est, promissa sua, mihi facta, oblivioni tradere & instinctu diaboli in ejusmodi calumnias convertere cepit.

Certè si quicquam ex D E O in eo esset, nunquam sane adeo ingratus erga me extitisset.

Qui non veretur vitam aliquem privare, idque deliberato animo, quique non dubitat benefactoris sui famæ atque existimationi maculam inurere, is certè nec mendacia & quicquid in buccam venit, proferre extimescet, quippe cum perinde ei sit, verane an falsa loquatur.

Præterea quoque malis artibus uti cepit: Famulum enim meum blanditiis ad se pellexit & in honorificum suum consortium recepit, cum tamen non ignoraret, quod propter infidelitatem ipsum à me dimisisssem.

Quod scribit, se secreta sua à me magna pecuniæ summa redemissa, purum putum est mendacium.

Vile quidem præmiolum mihi obtrusit,
cujus

cujus dimidiam partem ei reddidi, quantumque ab eo retinui, id omne ex communicatione secretorum meorum aliis facta imò ultra recepit, ita ut jam dudum vile suum præmium plenariè receperit, & hac communicatione sua (me inscio facta) promissa sua irrita fecerit, quod tamen tranquillitatis studio fieri permisi.

Quare, si verum fatebitur, nunquam dicere poterit, quod omnia illa secreta, quæ ipsi concredidi, vel obulo à me redemerit, quantum quidem ego scio.

Quantam hætenus pecuniæ summam cum exinde conflasse credendum est? quippe cum institorias suas literas clanculum jam ante quinque menses (imò ante duos annos, ceu relatum mihi jam est) emisserit, antequam rescire mihi id licuit: Fieri enim non potest, quin pecunia exinde ad illum redierit, præsertim cum unà cum perfido meo famulo ad eam insolentiam processerit, ut inita cum quibusdam Francofurtensibus societate, calumnias suas ubique spargi & non solum in superiorem Germaniam & Belgium, sed etiam in Galliam aliasque exterarum regiones, ad conflandam pecuniam, mitti curarit.

Prout tamen spero institoria hæc taberna
(an-

(annuente Numinis Divini gratia) brevi interitura est.

8. *Spiritus salis in copia.*

IN hoc etiam paragrapho suo more Glau-berum contemnere pergit, eumque mendacii incusat, quasi falsa & impossibilia scripserit, quod in uno Furno, unoque die quinquaginta libræ spiritus salis præparari possent, & addit hunc spiritum bonitate spiritum suum non æquiparare, quippe qui per se: hic vero cum additione vitrioli factus sit.

Quod vitriolum nullum damnum spiritui salis inferat, pluribus in Furnorum meorum prima parte demonstratum est, & quod in furno meo uno die quinquaginta libræ vel ultra præparari possint, denuo negat, cum tamen commodissimè fieri id possit, quod ulteriori probatione non indiget.

Ex his quivis sapiens facile dijudicabit, quam bonus Christianus Farnnerus sit, cujus os nihil nisi prava, contemptus atque contentiones evomit, & nisi me omnia fallunt interiora cordis ejus invidia, odio, mendaciis & infernalibus calumniis referta erunt.

Quid

Quid mihi cum illius spiritu salis aut illi cum meo? Præparet ille suum spiritum eo quo volet modo, ego meum quoque præparabo, si eo indigere contigerit.

Quorsum res meas suis inquinare nititur? cum eæ à nemine, multo minus ab ipso, reprehendi meritò possint.

9. *Spiritus vitrioli, Nitri, salis, aq. fort. aqu. reg. in copia: etiam Sulphur, quadraginta Imperialibus.*

HOc in loco videre licet inhumanam imò diabolicam convitiatoris hujus naturam: vix enim tria verba protulit & jam in contemptum Glauberi descendit.

Quid quæso Glaubero cum spiritibus ejus non enim iis utitur, & si iis indigeret, absque illo eos conficeret.

Quid ejus refert, si meliori modo uteris in eorum præparatione ac ille, quod tamen nunquam fiet?

Quicquid Glauberus de hujusmodi rebus scripsit: id lectu dignum est, seque ipsum defendere potest, nec unquam à te tuive similibus fama ejus, qua toti orbi innotuit, labefactari poterit.

10. *Spirit.*

10. *Spirit. Mineral. Viginti Imperialibus.*

Hic non veretur Farnnerus aliis polliceri modum præparandi spiritus volatiles, qui tamen ante octennium à Glaubero in secunda furnorum ejus parte prolixè descriptus est, quo benevolum Lectorem remitto.

11. *Flores Mineral. & Metallorum viginti Imperialibus.*

QUOD si quis naturam alicujus explorare velit, permittat eum loqui, facile enim animadvertet, cujus naturæ sit: Præsertim verò id omnium optimè videre licet in ebrio sive irato homine, qui internos & absconditos nervos suos minimè occultare potest.

Pari modo id quoque de Farnnero intelligendum est, qui mendacissimos suos processus nomine meo obvelare nititur.

Quid si jam vidissem, quo pacto flores suos metallicos præpararet, quid emolumenti vel damni exinde ad me rediret?

Gloriatur de ejusmodi rebus, quæ gloriam nullam merentur.

Flores Metallorum sub cooperculo frixatorio

torio confecturum se promittit, cum tamen flores sub eo fieri nequeant, non enim flores sunt, quando metalla sub cooperculo frixatorio in calcem cremantur sive in cineres rediguntur, ejusmodi enim calx nimis gravis est & permanet: Flores vero metallorum per sublimationem in levissimos flores elevari debent, quemadmodum iste labor in Furnorum meorum prima parte prolixè descriptus invenitur.

Farnnerus sane unà cum officina squalentem cultrum relinquens debuisset prius Chymicam aliquantisper frequentare scholam, quam graves metallorum calces (nondum perceptis Chymicorum terminis) sub titulo levium florum aliis venderet, & contra Glauberi modum præparandi flores, à nemine hætenus reprehensum aut reprehensibilem, contemneret.

Ejusdem hi flores sane sunt farinæ cum floribus corallorum, qui non florum, sed cremoris titulum merentur.

Nisi vehementer adeo in famame meam invectus esset Farnnerus, non eum sanè tanti fecissem, ut vel unico verbo aut responsione vanissimos ejus processus dignatus essem.

Nihil tamen refert, quod pii quandoque
hac

hac vita à vefanis canibus allatrentur, atque exagitentur, cum fapiffime in multorum emolumentum præclaræ res (quæ aliàs occultæ manerent) hoc pacto innotescant.

12. *Quinta Effentia.*

Hic tibi, candide atque benevole Lector, fatis superque videre licet, impurum hunc Farnnerum omnem suum conatum eò intendisse, ut bonorum virorum quietem turbet, beneque fundata adeoque irrefutabilia scripta stolidis suis opinionibus convellat, quod tamen possibile ei non erit, non minus, ac si catellus armatum virum infestet, cui tamen latratu suo nocere non possit.

Tractatum metum, quem de Essentiis vegetabilium conscripsi & Norimbergæ sub titulo primæ partis Pharmacopææ Spagyricæ typis excudendum curavi, nec Farnnerus nec quivis alius, ejus similis rejicere aut contemnere poterit, sed suimet defensor tractatulus ipse erit.

Quod si vel mica pudoris in Farnnero restaret, non contemneret alios, qui sibi benefecissent, imo ne hostes quidem suos.

Complures ego easque præclaras inventionio-

tiones publicæ lucis feci, nemo tamen locum mihi monstrabit; quo aliorum labores contempserim aut reprehenderim, prout hicce Farnnerus facit.

Si instar boni viri agere voluisset, & quicquam adversum me habuisset, coram mihi dicere id debuisset, nec adeò perfidè absentis mei famam proscindere.

Prout enim comperi: epistola hæc calumniatoria jam ante quinque menses aut, secundum aliorum relationem, ante biennium jam spargi cœpit, priusquam certior de ea fierem.

13. *Omnia vina acida.*

PRÆCLARA hæc scientia acida vina in virtute augere & meliora reddere, potissima omnium est, quas Farnnero me communicasse admodum doleo.

Quod scribit, se ea impegisse, purum putum est mendacium: Ne gri quidem ultra, quam à me accepit, habere potest, cum tamen impudentissima hæc mendacia proferre non dubitet, se scientiæ illius melius reperisse fundamentum, quod tamen falsissimum est: Nam nec ille nec quisquam alius, nec ipse ego, aliud sive melius quid, quam pu-

E

ram

ram Essentiam vini, ad opus illud condu-
cens, reperire possum: Quæ vini Essentia vi
insitæ suæ igneæ naturæ & proprietatis quod-
libet immaturum vinum in fermentatione
maturare & in suave, constans, & bonum
vinum convertere potest, in quo totum la-
tet artificium:

Qui enim hoc scit, is acida quoque vina
corrigen potest, caveat tamen, ne scetens,
quemadmodum Farnnerus fecit, adustum
vinum sumat, quo ille impegit, uti dicit.

Præclara hæc & ante hac incognita ars ei,
qui vina tractare noverit, instar multorum
millium est: magnumque exinde commodum
infidus hicce Farnnerus percipere potuif-
set, si eam non vulgasset: Quia verò ubique
jam publicavit, nulli plane in posterum, usui,
nec ei, nec mihi (si melioribus destituerer)
erit, insignem enim hanc scientiam, undi-
que missis mendacissimis suis literis diffu-
mavit.

Quantum ad me attinet, (quamvis in-
gens commodum, quod exinde ad me redi-
re potuisset, garrula sua lingua & mendaci-
bus suis scriptis, mihi ademerit) non admo-
dum ea propter animi angor, prout illi ac-
cidet, si omni plane fructu ejus carere co-
getur.

Si

Si perfidus hicce Farnnerus scientiam hanc occultasset, nullis aliis artibus opus habuisset, nec eam centum Ungaricis venum prostituisset, sed ea victum suum sufficientissime sibi parare potuisset.

Majus damnum mihi sua publicatione intulit, quàm proloqui possum, ægerrimeque fero ejusmodi præcellentem atque utilem scientiam adeo indignis modis contaminari, nec quisquam Vir bonus id approbabit, præsertim ii qui damnum exinde sentiunt atque ea de causa diris illum devovebunt.

Potuisset ille in silentio absque proximi sui detrimento aut incommodo victum sibi abundè illa parare, nisi communicatione illius non solum sibi, sed & mihi multisque aliis, qui ejus notitiam habent, victum adimere magnumque detrimentum inferre maluisset, quod perfidè actum esse nemo negare poterit.

Remuneratio illa, quam pro communicatione secretorum meorum mihi Farnnerus contulit, ad summum erit sexaginta vel septuaginta Ungaricorum, quos tamen ex communicatione concreditorum sibi à me secretorum jam dudum inscio & invito me recepit, ita ut omnia illa, quæ à me ha-

E 2

bet,

bet, ne obulo quidem redemisse dici possit.

Nihilominus non veretur dicere, se mihi magnam pecuniæ summam pro secretis meis dedisse, quam tamen ab eo recipere recusavi: Et quamvis bis mei gratia quindecim milliarium iter fecerit, ut nonnihil ex me expiscaretur, tamen id ei denegavi, nullaque communicatione eum dignatus sum, donec tertia vice me accedens secreta quædam ex me resciverit, quorum postea temporis, data nimirum mihi obligatione se laboratorium meum directurum, complura alia à me ipsi communicata sunt.

Propter donationem ejus (quæ millesimam partem damni, quod mihi intulit, compensare nequit) ne minimum quidem eorum secretorum (quorum jam complura habet) ei ostendissem, nisi se obligasset sub pœna amissionis omnium bonorum; ut & famæ atque existimationis se usque ad extremam meam senectutem in servitiis meis perstiturum una cum uxore & liberis suis, quemadmodum ex adductis ejus obligationibus fatis superque liquet.

Quod si mihi mille Ungaricos donasset, & scivissem eum scientiam hanc pretio venalem exhibiturum, potius illi pecuniam illam

illam omnem reddidisssem, quam ut secretum illud divulgaretur, permisisssem.

Nec vana ejus excusatio, quasi non meas sed suas inventiones venum exponat, quicquam ei prodesse poterit, cum satis superque pateat, quod nihil in rerum natura reperiri possit, quod tenuia vina meliora reddere possit, quam anima sive quinta essentia ex aliis vinis extracta: Sola enim anima vini aliud vinum & nihil præterea aliud viribus augere potest.

Nec incongrua est hujus vinorum meliorationis cum duabus vestibus laceris comparatio, quarum neutra gestari potest, quod si vero alterutra harum discindatur, & id, quod adhuc bonum atque integrum est, alteri vesti inseratur atque ita ex duabus laceris integra vestis confletur, tunc ea denuo gestari poterit, cum tamen antea harum neutra usui esset.

Idem quoque intelligi debet de tenuibus vinis, quæ durabilia & vendibilia non sunt: Postquam vero unum dolium per aliud viribus auctum est, non solum instar boni durabile est, sed & facili vendi potest, & quidem multo carius, quam duo illa tenuia aut acida dolia.

Et hæc sane scientia & nobilissima & lon-

ge utilissima iis in locis est, ubi vina raro ad maturitatem perducuntur, atque ea de causa durabilia non sunt & vendi nequeunt.

Vinitorum enim acerbissima hæc querela est, quod vina immatura vendibilia non sint, & pecunia nulla exinde ad illos redeat: Siccine ajunt, irritum laborem per totum annum in vineis exercuimus? En ibi vina jacent, & à nemine emuntur: Interim nos inopia premimur animumque nostrum vinis illis exhilarare non possumus, quippe quæ nec nobis nec aliis profint: Nisi mox aliud meliusque vinum crescet, cum quo vina hæc miscere atque ita vendibilia reddere possim, planè corrumpentur, & in aquas convertentur.

Has atque ejusmodi alias querelas ex vinitoribus sæpissimè audiui, quod si jam illi adeo prudentes & sciti essent ut sartores, qui ex duabus veteribus vestibus novam unam conficiunt, meliori sane in statu res eorum essent, quippe cum hoc pacto acida sua vina à corruptione præservare possent & bona vina eorum permissione deteriorare opus non haberent.

Pro qua præclara atque utili inventione merito omnes qui vina tractant, Deo & mihi gratias agere debebant.

Quæ.

Quæso te quis homini, corpus, animam
atque omnia bona sua oppignoranti, non
hæc communicasset?

Quod si hujusmodi obligationibus stan-
dum non est, certè quibus rebus niti aut quo
pacto quis fidem alicui habere possit, non
video.

Execror infelicissimam hanc horam, qua
inutile hoc subjectum, perversissimusque
iste homo (si tamen homo appellari mere-
tur) prima vice in conspectum meum venit.

Quas non ille turbas & molestias in sene-
ctute mea mihi concitat, quæ tempus suum
longè utilius impendere potuisset, quam ut
detestabiles ejus calumnias refutaret.

Nec mihi solum sed liberorum meorum
saluti perfidia sua, quam erga me exercuit,
magnum damnum infert.

In posteriori sua obligatione promittit,
si fortè præmatura morte decederem, se li-
beros meos, propter exhibita sibi à me be-
neficia, sibi adoptaturum suosque hæredes
instituturum, hic vero mendacissimo suo
scripto nihil aliud agit, quam ut illos (im-
puberes liberos meos) quacunque ratione
possit, victu suo privet, ejusque commo-
dum in se transferat, quemadmodum etiam
fecit.

Præterea etiam in posteriori sua obligatione dicit, se supplici prece Numen imploraturum, ut incolumitatem atque sanitatem meam perennet, hoc vero loco calumniis atque cavillationibus suis me occidere satagit, & si manu id (quod tamen Deus, clementissimè avertat) facere posset, non intermitteret credo: Vilipendit, si humanum sanguinem profundat, jam enim per experimentum id se posse demonstravit.

Proh quanta mala prava lingua ciere potest! nulla sane licet acutissima bipennis tot damna causabitur, quot prava lingua inferre valet.

Quid verò ea ratione efficit, nihil aliud, quam quod se ipsum prostituat & interitum sibi acceleret: Calumniarum enim procellis, quibus me submergere satagit, hac defensione mea ipsum obruam: quippe cum sciam confictas obrectationes ejus apud bonos viros mihi nihil nocituras, sed in autorem suum redundaturas.

Non absimilis ille est prostibulo cuidam, quod pudenda sua ob lucellum cuivis denuadat & prostituit.

Ego sane singulari Dei voluntate id mihi accidisse existimo, quod fortassis majori mihi utilitati, quam damno, esse poterit, si-

qui-

quidem id me docuit alia vice cautius agere, hominumque subdolorum consortium fugere.

14. *Omnia Vina.*

Hic quivis sanæ mentis judicet an hæc res mereatur, ut in peregrinas regiones mittatur & pecunia vendatur, cum nullus rusticorum sit, qui non sciat, quod vinum herbæ, florum, aut aromatum, quæ in eo suspensa fuerunt, saporem assumat.

15. *Vinum adustum ex omnis generis Frumentis.*

QUod Farnnerus hac scientia se jactet, id Deo & mihi debet, à quo illam habet. Cum enim primitus apud me conquereretur se efficere non posse, ut frumentum in vesica non adureretur, atque ita vinum adustum fœtorem conciperet, oranti ei secretum hoc communicavi.

Quia verò hac quoque scientia Farnnerus gloriosam quandam captat, nec ea diu fruetur.

Equidem fateri cogor, secretum hocce non minoris esse valoris atque illud, quo

vina meliorantur, quippe cum non minus lucri exinde redeat : Quandoquidem vero constitui merces ejus omnes omnino ab eo emere, hoc quoque ei relinquere non audeo, ut ipse alios hac de re informandi labore liberetur, & illi, qui alias longinquo itinere ipsum adire ab eoque merces has pecunia redimere cogerentur, tanti itineris molestiis supersedere possint, estque præparandi modus hic :

● Recipè, quodcunque frumentum voles, sive hordeum, sive filigo, sive avena, sive triticum sit, idque aqua dulci per aliquot dies macera, postea pone ut protuberet, eodem modo atque frumentum præparatur ad cerevisiam exinde faciendam, perque certi temporis intervalla inverte, ne nimio calore incensum corrumpatur : Cum itaque benè protuberaverit, tunc ejusmodi frumentum late dispergitur, ut statim refrigescat, & acidum fieri nequeat.

Si verò confestim eo uti voles, tunc ejus tantum recipe, quantum distillatio tua requirit, inque aheno, aquis pleno, tamdiu coque, donec grana disrumpantur, tunc in ligneum vas effunde, tepidumque cum factum fuerit, ei recentes cerevisiæ fæces adde, & fermentari permitte : Cum satis fermentatum

tatum fuerit, quod quidem duobus, aut tribus ad summum diebus fieri consuevit, tunc ex frumento illo in vulgari vesica per distillationem vinum adustum conficitur: Residuum, quod in vesica remanet, ad faginandos boves, vaccas, sues aliaque pecora conducit.

Vinum vero adustum, quod exinde provenit, rectificari debet, ut moris est, & hoc pacto longe suavius & sapor acceptius redditur, quam aliud adustum vinum ex frumento confectum: Ratio hæc est, quod unum quodque frumentum ex quo vinum adustum præparari debet, si statim post molituram in fermentationem ponatur, necessario in vesica in pulvem per coctionem redigatur, atque ita adustione corruptum fæctens adustum vinum producat.

Protuberans verò & disruptum hocce frumentum aduri non potest, ideoque bonum adustum vinum profert.

Potest etiam frumentum lapide molari frangi, aqua superfundi & per vesicam in alia vesica vel ahenò, aquis pleno, collocatam, distillari, sic etiam aduri nequit, non tamen adeo multum exinde promanat.

NB. Quod si quis adustum hoc vinum ex vini facibus confecto vino adusto par
quoad

quoad saporem efficere velit, tunc illud super vini facibus rectificandum est, hoc enim pacto per oleum vini, quod copiosè in facibus reperitur, saporem vini adusti ex vini facibus comparati acquirit, & per omnia & in omnibus ejus loco usurpari potest.

NB. Qui volet poterit etiam absque prævia coctione & fermentatione protuberans frumentum adhuc calidum in vase quodam tepenti aqua perfundere, hoc pacto enim frumentum per se fermentari incipit, nec ullis facibus ad fermentationem ejus opus est, non tamen adeo suave adustum vinum exinde provenit, ac si prius coctum fuisset: Per coctionem enim frumento ingratus sapor adimitur, quem vinum adustum aliàs retineret: Præterea etiam longe plus vini adusti provenit, si frumentum per coctionem eo usque perductum est, ut rumpatur.

Et iterum tibi, benevole Lector, præclarum adeoque utilissimum secretum, quo magnas opes acquirete poteris, si recte eoutaris, & in magna quantitate id elaborares.

Nec injuria Farnnerus centum Ungaricos (secundum ejus æstimationem) pro eo accipere potuisset, longe enim pluris æstimandum est, præsertim si residuum frumenti

ti

ti impensas solvat: Nemo tamen in posterum ei centum Ungaricos pro eo solvet, cum hic publicè describatur.

Injuria ferme quidem est hoc divulgari, quia verò spurcissimis Farnneri manibus jam versatur, præstat, ut eo & alii frui possint, quam ut ille pro lubitu suo inque sui solummodo emolumentum ubique id pedibus conculcet.

Quamvis verò per communicationem meam Farnnerus pellem Leoninam induerit, auricolæ tamen asininæ sub ea condinequeunt.

Velet se quocunque modo velit, non tamen omnino eas abscondere poterit, ne promineant, quemadmodum ex hoc paragrapho liquet, ubi scribit, se quatuor mensuras trans aquas misisse exploratum an aquas marinas sufferre possint, tunc enim in portu se navigare existimat.

Deus bone, quanta ex profundissimi hujus Farnneri profundissima Philosophia elucet sapientia!

Sane si unum atque alterum ejusmodi experimentum denuo exhibebit, ut vinum adustum aquas sufferat, optimo jure meritus est, ut in Academia morionum primarius creetur Professor, id enim ipsi conveniret quippe

quippe cum causa , quare potus quidem aquis marinis alterentur ipsi occulta non sit , quemadmodum scribit.

Prius tamen experimentum in quatuor istis mensuris facturum est , quod si comprobatum fuerit , tunc pro remuneratione quadam , hanc artem se docturum promittit.

O perversi mundi cœcitatem , quæ inani quoque superbia intumescit ! Quis unquam audivit , quod bonus spiritus ardens , sive ex vino , sive ex frumento confectus sit , aquis marinis corruptus fuerit ? Concedo quod corrumpi possit , nimirum si jam ante invalidus fuerit : bonus vero firmusque spiritus ardens nunquam trans mare vectus corrumpetur , quippe cum omnia vina aquas sufferant , exceptis illis solummodo , quæ spiritus defectu laborant , generosa vero vinaperrarò , quo plus enim spiritus in potu aliquo , sive id vinum , cerevisia aut mulsum , fuerit , eo minus periculi est , ut ab aquis corrumpatur.

Quod si igitur spiritus , qui in vino est , à corruptione præservat , quo pacto ergo vinum adustum , quod , si bene præparatum fuerit , nil nisi spiritus est , per aquas corrumpetur ?

Si Spiritus in vino præservator & defensor

for vini est , quod tamen magna aquæ quantitate circumdatum & debilitatum est , ita ut vinum bonum permaneat , & ab aquarum corruptione tutum sit , cur ergo seipsum defendere nequeat , utpote ab aquis liber firmisque viribus pollens ?

Quis dubitat concentratam vitam majora perferre posse quam diffusam & debilitatam vitam ?

Ex his videre licet , quantas ex lumine Naturæ Farnnerus hauserit scientias , prout gloriatur.

16. *Omnis generis Cerevisias viribus augere.*

HOc loco asininas suas aures Farnnerus iterum exerit , dum scribit , se posse Cerevisiam viribus adeo augere , ut generositate vino Rhenano non sit deterius.

Hic quilibet sapiens dispicere potest , quanta & quam stupenda in hoc homine sit stultitia.

Ecquid bonitatem vini Rhenani viribus ejus tribuet ? quod quidem longe erratum est : Bonitas enim Rhenani vini consistit in suavitate & non in viribus ejus.

Vinum Gallicum longe fragrantius est
quam

quam Rhenanum, suavitate tamen & sanitate cum eo minime conferendum est: Con-
similiter quoque vinum Ungaricum, Græ-
cum, Italicum, Hispanicum &c. longe ma-
joribus viribus præditum est, suavitate ta-
men ut & bonitate atque salubritate Rhe-
nano vino multum deterius est, licet viribus
præcellat & vinum Rhenanum vincat.

Atque ita magnum hoc est absurdum:
Viribus quidem augere illam additione spi-
ritus ardentis in fermentatione potest, quo
diutius duret, si ita confortetur, id quod
negare non possum, & fieri quoque debet:
Quod verò acetum exinde confici queat,
aceto vini simile, purum putum hoc quo-
que est mendacium: Quamvis enim for-
tis cerevisia etiam forte acetum det, nun-
quam tamen acetum vini exinde conficie-
tur, magna enim differentia inter acetum
vini & cerevisiæ, licet utraque viribus paria
sint, reperietur, si utriusque examen in-
stituatur: Unde apparet Farnnerum adhuc
ignorare quid sit acetum, cum discrimen
ejus nesciat.

Generosum & sincerum vini acetum hæc
examina perfert: Primo, si in vitro proba-
tionis agitetur, ex tempore claritatem suam
recipit, nullamque spumam, fœces, aut
bul-

bullas in superiori parte relinquit, prout acetum cerevisiæ facit: quantumvis enim viribus polleat, tamen eam naturam retinet ut spumas concipiat, si agitetur, æquè ac cerevisia ex qua confectum est: Acetum verò vini spumas non relinquit.

Secundò, quo diutius acetum vini coquitur, eo fortius evadit: Ratio hæc est, quod naturalis eique innata acredo in eo sit, quæ volatilis non est, acredo vero acetici cerevisiæ consistat in volatilitate, quæ coctione imminuitur: Quò diutius igitur coquetur, eo debilius exinde fiet.

Et hæc sunt certissima & præcipua duo acetorum examina, quæ Farnneri acetum nunquam sufferet, ideoque acetum cerevisiarum erit atque permanebit, nec mereatur, ut quinquaginta Imperialibus ab eo præparatio ejus redimatur.

17. *Cerevisias acidas.*

HOc quod attinet, nihil artificii id requirit, nec meretur, ut ubique præparatio ejus pretio docenda promittatur, cum ipsimet rustici id calleant, qui in tinam acidæ cerevisiæ duos aut tres manipulos bene cribratorum faginarum cinerum, pauxil-

F

lo

Io cerevisiæ madefactorum, projiciunt optimeque agitant, & per octo dies ita requiescere permittunt, tunc enim cineres; ratione salis, quod in eis est, acredinem cerevisiæ præcipitant, & cerevisia rursum fit potabilis.

NB. Si cerevisia non nimis acida sit, potest etiam manipulus cribratorum cinerum Linteo cuidam insui & in cerevisiam per operculum immitti, in eaque relinqui, hoc pacto enim ab acredine cerevisia præservatur, nec necesse est ut cerevisia agitetur & turbetur.

Manipuli etiam nonnulli tritici in cerevisiam conjecti acredinem ad se attrahunt, quemadmodum id quoque faciunt ovorum putamina, oculi cancrorum, conchæ testudinum, conchæ marinæ, calx viva, aliaque similia, quæ acredinem attrahunt, & in dulcedinem convertunt.

Unde verò est, quòd Farnnerus vini atque aceti scientiis jam scateat, cum tamen ante biennium, cum adhuc vinum adustum & cerevisiam præpararet & venderet: prout apud me conquestus est, in earum tractatione multa damna perpessus sit, ita ut pereundum ei fuerit, nisi adustionem frumenti in vesica, fœtorem vini adusti, & cerevisiæ
acre-

acredinem tollere atque remederi didicisset.

Cur eo tempore sibi opitulari & damna ista præcavere non potuit? Objiciet ille quidem, sibi interea temporis lucem quandam affulxisse, cujus beneficio naturam cognoverit. Verum quicquid etiam objiciat, nunquam me tamen inducet ut credam, lucem hanc tanta copia ita repente ei affulxisse, id quod absurdum est: Nemi enim tot præclaræ scientiæ per noctem somnianti infunduntur: purum putum id est mendacium.

Quod vero fidelis mea informatio, quæ eum instruxi, instar luminis ei affulserit, eumque in rectam semitam deduxerit, id verissimum est, licet ille indignus sit pretiosis istis margaritis, quas instar freudentis apri spurcissimis pedibus conculcat.

18. *Acetum ex frumentis.*

Hunc paragraphum quod attinet, jam in præcedenti decimo sexto paragrapho demonstratum est, quod impossibile sit, ut ex frumentis acetum fieri possit, quod aceto vini simile sit: Quare ne hoc quinquaginta Imperiales, prout ille putat, meretur.

F 2

19. *Acet-*

19. *Acetum ex viridibus Lignis.*

DEmiror sane , quod Farnnerum non pudeat ejusmodi res , quæ jam ante multos annos dilucidè à me descriptæ sunt , cœu novas in lucem reducere , ut pro pretio alios eas doceat , quæ jam dudum publicè excusæ sunt in prima parte Furn. Atque ita se alienis plumis exornat.

Sed objiciet ille , hæc atque alia in examine vera esse comperi , ideoque ea describo : Quem in finem vero id facit , in nullum alium , quam ut eos , qui has res à me ante complures annos descriptas esse nesciunt , pecunia emungat.

Qui harum rerum quid expetit , in prima parte Furn. meorum eas inveniet , nec Farnnero pro communicatione earum decem Imperiales solvere necesse habebit.

20. *Quamvis Glauberus.*

Mirum quidem est , Farnnerum à convitiis suis tam diu sibi temperasse.

Hic contemnit modum meum ex faciibus vini tartarum extrahendi , cum tamen satis clarè atque perspicuè descriptus & Norimbergæ ante annum editus sit , quem Farn-
ne-

nerus nunquam corrigere poterit. Posito verò eum compendium quoddam præterea invenisse, quod quidem fieri potuit, cum facilius sit arti jam inventæ quid addere, quam artem illam invenire, numquid propterea eum decuit homines ab hac arte, quæ plenariè descripta est, & gratis haberi potest, retrahere, eam contemnere, longeque melius à se inventam esse apud omnes jactitare.

Quid boni viri de his malignis ausis sensuri sint, facile judicari potest : quod si nihil horum scripsssem, quis eum docuisset, in vini fœcibus tartarum esse ? Ego verò non solum comperi & scripsi quod in iis sit, sed & prolixè docui, quo pacto utiliter exindè extrahi possit.

Hic tamen nugator impudentissimè mentiri audet, se illud correxisse, seque accedi & pretio illud à se redimi jubet.

Non tamen arbitror, quenquam adeo dementem extitutum, qui pro eo viginti Imperiales solvere velit, quod gratis habere possit : Quare nemo facilè ab eo se decipi patietur.

Eodem etiam modo cum reliquis meis secretis agit, (quæ licet à me habeat, sua tamen esse falsissimè jactat) quo hic cum fæ-

cibus vini procedit, nimirum cum meo Alkahest, Panacæa, vini melioratione, compendiosa frumenti distillatione, aceti præparatione, cerevisiæ correctione, aliisque in locis compluribus.

Unde ille scire potuisset, quid per Alkahest & Panacæam meam intelligeretur, quidve tenuia vina & cerevisias melioraret, quomodo frumentum sine adustione spiritum ardentem in copia daret, & an tartarus in vini facibus esset, & quomodo exinde extrahi deberet; nisi hæc omnia à me vidisset & didicisset, quorum etiam ante complures annos publicè in scriptis meis mentionem feci, quod notissimum est atque ipse negare non potest, quantumvis etiam veritati reluctetur.

21. *Omnia ♀. æra.*

HOc loco Farnnerus docet, quod ♀. æra sint separanda, cum tamen ea non separentur, sed fundantur, ut exinde cuprum proveniat, quod cuprum, si argentum contineat, debito pondere plumbi permistum separatur: mineræ vero cupri nunquam separantur, quod ille non intelligit, suamque in terminis illis inscitiam hoc pacto

cto prodit. Hic modus separandi sat notus est, & ubique locorum ubi cupri mineræ reperiuntur in copia elaboratur & occultari nequit.

Qui cupri æra possidet facile aliquos inveniet, qui exinde cuprum eliciant & postea separent, nec opus habebit ut ea de causa Farnnerum adeat.

Demiror sane ejus extremam impudentiam, quod non vereatur promittere se alios edoctrum tot scientias, quarum si dimidiam partem calleret, pagus ipsius omnes illos furnos, quibus ad demonstrationem earum indigeret, non caperet.

Præterea pro his & sequentibus scientiis, cum tamen omnium difficillimæ & laboriosissimæ sint, pecuniam non postulat, sed pro remuneratione quadam omnes illas demonstraturum se promittit.

22. *Ex Testis & Cupellis.*

HA N C quoque separationem ex testis ex scriptis meis deprompsit, ut calumniosas suas literas ea augetet : Nec credo eum id facere posse, cum à me id non viderit, fitque per pulverem Carbonum, quemadmodum in colloquio meo Chymico luculentissimè id descripsi.

23. *Aurum & Argentum.*

HA N C A R T E M Lazarus Erckher descripsit, sed quia nimis difficilis est ejus modus, faciliorem ego indicavi in Explicatione Miraculi Mundi, sequentesque furni fusorii in ea quoque descripti reperiuntur, ideoque non opus est, ut hic eorum descriptio ponatur.

Omnes hæ inventiones meæ sunt, quas Farnnerus falsò suas jactat ; infidus enim meus famulus furnos hos, quos apud me vidit, Farnnero extruxit.

Et tandem :

Quod ultimos hosce quatuor paragraphos attinet, nihil habeo quod ad illos respon-

spondeam, cum me non concernant, ut priores, & Farnnerus ipsemet saltem eos pro speculationibus & non pro experimentis venditet, quemadmodum & ego illos nihil nisi phantasias imaginationes & ineptias esse duco: Unum tamen est, ad quod respondere me oportet, quod in tertio paragrapho scribit, futurum ut Alkahest Glauberi ad latebras confugere cogatur, quamvis planè rejiciendus non sit. Quod si adeo inutilis est, ut ad latebras confugere cogatur, cur eum quinquaginta Imperialibus, Panacæam verò, quæ cum eo præparatur, triginta Imperialibus venum exponit? jamque bonam pecuniæ summam exinde conflavit: Si planè inutilis est, cur ergo tanto pretio aliis sciens volensque vendidit & adhuc venalem offert? Quod si Farnnerus Alkahestum meum jure adeo inutilem esse dixit, ut latebras petere cogatur, certè multos decepit. Ego verò confidenter assero, Alkahestum meum ad nullius conspectum latebras subitum, sed ubique locorum sui ipsius defensorem fore: Calumniatores, perfidi, fures, eorumque complices ad latebras confugiant, non verò meus Alkahest. Si meliora quam ego invenit, in lucem illa emittat, quemadmodum ego feci,

ci, ut quilibet judicare possit, verane an falsa sint: Quorsum istæ jactantia atque in aliis contemnendis scelerata vanitas? Cum veritas multis verbis & jactantia non egeat. In scripto suo, quo pretium singulorum secretorum definit, ultimorum paragraphorum contenta, videlicet à vigesimo primo, ad vigesimum octavum, absque certo pretio alios edoctorum se saltem pro honorario promittit, quæ tamen omnium optima essent, si ea sciret. Quod si illa effecta dare aliosque docere posset, gratis certe non demonstraret, quippe cum impossibile ei futurum esset, ut furnos, qui ad ea conficienda requiruntur, dimidii anni spatio extruere posset.

Ex quo satis superque videre licet, eum ipsum ignorare quæ scribat: Certe si merces ejus quas absque pretio gratis à me habet, emptores invenirent, non dubitandum est, quin unius anni spatio aliquot millia Ungaricorum exinde ad illum reditura essent: Hoc sine dubio est obulo nummum Joachimicum excudere, & utrumque sibi servare, quod quidem adeo perfidè, atque sceleratè, atque unquam fieri potuisset, actum esse nemo negabit.

Hæc tibi hac vice respondenda esse duxi,
quo

quo spurcissimum mendaciisque turgidum os tuum tibi obturarem, quod si denuo ejusmodi mendaciis atque calumniis me infestare non dubitabis, aliis remediis effrenam istam tuam malitiam cohibere me compelles.

Interim nullus dubito, quin cordati atque boni viri in brevissima hac Apologia mea (in qua mendacissimæ tuæ Calumniæ non indecentibus aut contentiosis verbis, sed tuis obligationibus atque autographis refutatæ sunt) quam sceleratè atque perfidè mecum egeris, satis superque videre possint. Damnum hoc, quod mihi intulisti, nec tu nec omnes tuæ & præsentis & futuræ facultates, nec omnes tui affeclæ unquam reparare poterunt: Restat igitur, ut cum Jobo dicam, Deus dedit, Deus quoque abstulit, sit nomen Domini benedictum. Quod verò pœnam divinam (cui ego vindictam hac vice committo) propterea evitaturus sis, non credo.

Omniū rerum certum idque suum tempus est, quod & ego summa cum patientia expectando interitum tuum (cum Deus justæ causæ patrociniū suscepturus est) hisce meis oculis spe citius forte videbo. Non defuisset quidem mihi materia latius de his-

cc

ce differendi , nisi certa de causa id facere hac vice superedissem. Quam primum vero (Deo juvante) per otium licuerit, non intermittam omnibus omnino neutrae parti addictis hominibus in toto orbe duodecim quaestiones solvendas proponere, ex quibus quilibet ingenuus bonusque vir, quam ingratus, perfidus, iniquus, imò inhumanus erga me fueris, videre, animadvertere & dijudicare poterit.



A D.

A D M O N I T I O

A D

L E C T O R E M .

CUm relatum mihi sit, quod Farnnerus iniquissimè ferat, quod in Apologia mea per discursum dixerim, quod ex eo tempore, quo Farnnerus convictorem suum interfecit, aliam quoque naturam assumpserit, & à me planè alienatus & perfidus factus fuerit, ex quibus verbis Farnnerus colligere atque inferre vult, me ipsi cædem illam exprobrare, cum tamen Judicum sententia ab ea absolutus sit: Ideoque ad hæc respondeo, quod his rebus me non immisceam, cum mea nihil referat, rectene an secus ille fecerit. Ille viderit, qua ratione se Deo excuset, nihil illud ad me, nec ei id exprobro, cum satis superque jam ante notum sit. Quod vero cædis illius mentionem feci, id discursu ita ferente factum est, nec
non

non dicere potuisssem, ex eo tempore, quo Farnnerus occisum suum convictorem in vitam revocavit, mentitus enim hoc pacto fuisssem, cum econtra verum adeoque verissimum sit, quod eum gladio transegerit. Confido itaque neminem futurum, qui verba mea multo minus vehementiores affectus meos in defendenda fama atque existimatione mea adhibitos (quibus fortasse quilibet alius quoque indulgisset) in malam partem interpretetur.

F I N I S.